ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo, doctissimoque Viro D. Constantino Hugenio C. Barlaeus S. P. D.

Imperaveram iampridem mihi silentium, Hugeni doctissime, uti ex adiuncto Epigrammate vides, et Musis omnibus totique Heliconi vale dixeram. Verum uti in magno dolore, praesente patris periculo silentium rupit Croesi filius, ita mihi ingens patriae gaudium poëticam denuo fibulam laxavit. Dum illa feliciter rem gerere pergit, ego, licet minus feliciter, canere. Quam vereor, ne tetrum illud meum Βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ auribus tuis aliorumque molestum aliquando sit. Illud in Sylvam-Ducis operosius est. quid ni! maioris etiam operae ~~est~~ fuit illam vicisse. Olindam impetu cepimus, impetu celebravimus. Annon et hoc est orationem rebus accommodare! Cum hac transiret ante octiduum Nobiliss. Mylius, Ecquid, inquit, Barlaee iam silebis, et indictum sines Pernambucum? affirmavi ego, et me nimia mea garrulitate vilescere aiebam; esse qui istam meam in poëtico studio liberalitatem reprehenderent. Etiam hic verum esse illud Theognidis καὶ τίκτει κόρος ὕβριν. Verum postero die cum vix a somno coepissem connivere, et iam oculis detersissem nocturnum humorem, coepi furere, et ad damnatum morem recurrens carmen scripsi deductum, uti loquitur Maro, minus operosum, et tenuis spiritus, uti loqui amat Flaccus. Languent animalia post immoderatam venerem, ob exhaustum spirituum fontem. Et horum quoque penuria fatiscit vis illa Apollinis, et oestrum, quo vatum mentes incalescere solent. Quod de meretricula sua exclamat Horatius, ego de Poësi dixerim:

Quae saga, quis me solvere Thessalis
Magus veneris? quis poterit Deus!
Vix illigatum me triformi
Pegasus expediet Chimaera.

Si perrexerim in hoc studio
Tandem resident cruribus asperae
Pelles, et album vertar in alitem
Superne, nascenturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Vale mi Hugeni et diu vive

Grande decus columenque mearum rerum.
Ah, te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror alteram?
Nec carus aeque, nec superstes
Integer. ille dies utramque
Ducet ruinam. &c.

Vide ut Horatiana crepem, qui iam totus in eius sum lectione et mordacem rumino Flaccum. Lugd. Bat. iv Non. Maij cIↃIↃcxxx.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

Aen mijn heere
mijn heere Constantinus Huijgens
Ridder Secretaris van sijn
Ex.tie bewoonende in de hout =
straet

port

Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510